

tus: et similiter qui est in peccato mortali potest quodlibet mortale evitare, sed non omnia, vel per longum tempus.

DISPUTATIO XX.

DE NECESSITATE GRATIÆ SUPERNATURALIS
ORDINIS AD OPERA SUPERNATURALIA.

Egit D. Thomas in istis quatuor articulis de indigentia gratiæ supernaturalis ordinis, et sunt quatuor ad quæ indigemus illa. Primo, ut opera sint meritoria vitæ æternæ: secundo, ut præparemur ad justificationem: tertio, ut ipsam justificationem consequamur, et reparationem a peccato: quarto, ut possimus conservari in justificatione per abstinentiam a peccato. De his quatuor egit D. Thomas per istos quatuor articulos. Nos autem hic omittimus ea quæ pertinent ad rationem meriti, quia explicanda sunt in quæstione cxiv. Similiter quæ pertinent ad præparationem ad gratiam et reparationem a peccato, multa tractanda sunt in materia de justificatione quæstione cxiii. Solum ergo tria hic tractanda sunt. Primum, utrum omne quo præparat ad gratiam sanctificantem debeat esse supernaturalis ordinis: secundum, utrum possit dari aliqua reparatio a peccato sine gratia supernaturali: et tandem, utrum ad evitandum omne peccatum, sive mortale, sive veniale sit necessaria gratia supernaturalis ordinis.

ARTICULUS I.

Utrum omnis actus præparans ad gratiam sive proxime, sive remote indigeat gratia supernaturalis ordinis?

I. Multi discurrunt hic per omnes actus virtutum, et donorum supernaturalium, ut ostendant quomodo ad illos requiratur auxilium supernaturalis ordinis, et inter alios pater Suarez in toto libro secundo de gratia discurret per istos actus supernaturales: sed alienum est ab hac materia hæc ita tractare, quia habent speciales materias.

II. In præsentem ergo supponimus unum principium tamquam certum, et ab omnibus recipiendum, scilicet quod omne illud quod supernaturalis ordinis est in se, requirit etiam auxilium ejusdem ordinis; proportionatur enim auxilium effectui quem efficit, et causæ quam adjuvat, unde si effectus est ordinis supernaturalis, etiam concursus, et influentia in illum debet esse ejusdem ordinis, ut illi proportionetur. Ex quo principio per immediatam consequentiam deducitur, quod omne opus quod conducit, et ordinatur ad acquirendam gratiam sanctificantem sub ea formalitate, qua ad id conducit, debet esse supernaturalis ordinis, et ex auxilio supernaturali, utpote ad finem supernaturalem directam. Et sumitur hæc resolutio ex Concilio Tridentino sessione vi, canone iii: « Si quis dixerit sine proveniente Spiritu sancti inspiratione, atque ejus adjutorio posse hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere, sicut oportet ut ei gratia justificationis conferatur, anathema sit. » Unde deducitur argumentum: Ordinatio cujuscumque operis ad gratiam sanctificantem, vel conducit ad illam,

vel non: si non conducit, est ordinatio frustranea, et nullius momenti; frustra enim ordinatur tamquam actus, et dispositio ad aliquid, quod nihil conducit ad illud, et de tali ordinatione non loquitur: si autem conducit; ergo pro ea parte qua conducit fit sicut oportet ad justificationem; ergo est a Spiritu sancto præveniente, et ejus adjutorio: quo nomine auxilium ordinis supernaturalis perpetuo intellexere patres et Concilia: et licet aliquid solum inadæquate, et ex parte conducat, et non se habeat tamquam totale, vel etiam ultima dispositio, tamen adhuc requirit auxilium supernaturale, pro ea parte qua conducit ad justificationem; nam etiam actus fidei et spei non sunt ultima, nec totalis dispositio ad gratiam, et tamen dicit Concilium quod: « Si fiant ut oportet ad justificationis gratiam, sunt a Spiritu sancto. » Quidquid ergo fit ut oportet ea ratione qua conducit, a Spiritu sancto est: non enim est major ratio de actu fidei ut conducente, quam de alio quocumque opere similiter ad id ordinato, et conducente.

III. Confirmatur, quia talis directio non potest alicui operi convenire ex principiis naturæ secundum ordinem naturalem, quia in tota natura non est aliquid proportionatum et positive ordinatum ad gratiam; ergo debet esse ex principiis superioris ordinis ad totam naturam, per hoc enim proportionatur gratiæ quæ superioris ordinis est.

IV. Difficultas vero reducitur ad hoc ut videamus, utrum aliqua opera habeant secundum se, et ex sua natura istam ordinationem ad gratiam sanctificantem, aut saltem ita annexam ut nullo modo possint fieri sine auxilio gratiæ supernaturalis. Et præcipue difficultas consistit in tribus. Primo, in pia affectione ad credendum, quæ videtur con-

cipi ex motivis naturalibus: et tamen conducit ad fidem, et ad gratiam: secundo, in substantia actuum virtutum infusarum, utrum illæ ex substantia talis operis exigant supernaturale auxilium; an solum ratione alicujus modi, vel formalitatis extrinsecæ: tertio, in adimplitione totius legis naturalis, et dilectione Dei naturali super omnia, quæ virtualiter est impletio legis, utrum requirat auxilium supernaturale propter connexionem, quam habent cum vita æterna, et quia decretum est a Deo ut facienti quod in se est non deneget gratiam, implens autem totam legem facit quod in se est.

V. Circa primum disputatum est in materia de fide, et ad illam pertinet directe ista difficultas: breviter dico, quod cum certum sit voluntatem illam credendi supernaturaliter ex parte rei volitæ esse supernaturalem, quia actus credendi supernaturaliter res supernaturalis est, tota difficultas consistit in hoc, an etiam ex parte motivi volendi illa voluntas sit supernaturalis, hoc enim requiritur ut ille actus in sua substantia, et specie sit supernaturalis. Videtur enim quod illa voluntas oriatur ex motivo naturali, si quidem naturali discursu cognoscuntur motiva, quibus homo persuadetur ad volendum credere, scilicet ex miraculis, ex testimonio martyrum, et sanctorum, et continuatione Ecclesiæ, et aliis similibus, quibus tamquam motivis inducitur homo, et judicat conveniens hoc quod est velle credere: ergo talis voluntas naturalis est in sua substantia, utpote ex naturalibus motivis orta.

VI. Secundo evidentius, quia si illa voluntas est supernaturalis quoad substantiam; ergo oritur ex judicio supernaturali, sicut enim: Nihil est volitum quin præcognitum, ita nihil est supernaturaliter voli-

tum, quin sit supernaturaliter præcognitum, est enim cognitio principium volitionis, et ita debent proportionari inter se cognitio, et volitio: illud autem iudicium supernaturale esse non potest, quia vel est supernaturale clarum, vel obscurum; si clarum, est perfectius fide, quæ est supernaturalis, et obscura, unde non potest disponere ad finem, quia dispositio non est perfectior forma ad quam disponit: imo aliquando experiemur hanc evidentiam, cum tale iudicium semper præcedat actum credendi, et tamen constat hoc a nemine experiri. Si autem illud iudicium est obscurum; ergo non assentimur illi nisi ex voluntate præcedenti, nam ubi non est evidentia, non convincitur intellectus ab objecto: non convicto autem intellectu indiget affectu voluntatis ut inclinetur ad assentiendum: et de illa voluntate iterum inquiremus, an sit supernaturalis, et indigeat supernaturali iudicio præcedente, et sic in infinitum.

VII. Nihilominus opposita sententia est communis, et vera. De illa videtur pater Suarez tomo I de gratia, lib. II, cap. III, et Montesinos hic disput. XXVIII, quæst. II, et alii. Fundamentum est, quia pia affectio voluntatis est principium influens in actum fidei, si quidem credere non est actus solius intellectus, sed intellectus ut moti a voluntate: « Nemo enim credit nisi volens, » ut dixit Augustinus libro de prædestinatione sanctorum, cap. II. Pendet autem actus credendi a voluntate quatenus ipsum objectum fidei secundum se, non est sufficiens ad convincendum intellectum, quia non est evidens; unde quod deest objecto, suppletur ex affectu voluntatis inclinante intellectum ad assensum. Ex qua doctrina formatur efficax argumentum ad probandum quod illa affectio debeat esse super-

naturalis in sua substantia, id est, ex suo motivo, et specie. Firmitas quæ est in ipso actu credendi est supernaturalis, si quidem in hoc maxime actus fidei divinæ supernaturalis est, quia excedit omnem certitudinem naturalem, et nititur infallibiliter divinæ: sed ista firmitas non potest provenire ex solo objecto; ergo debet etiam provenire ex voluntate, quæ inclinatur in id quod objectum non potest convincere: ergo oportet quod motivum talis voluntatis sit æque firmum, atque est ipsa firmitas actus credendi. Minor constat, quia objectum fidei remota voluntate non sufficit communicare ei firmitatem infallibilem, quia non sufficit inclinare intellectum ad assensum sine voluntate; ergo firmitas quæ de facto invenitur in actu credendi derivatur media voluntate; ergo voluntas debet moveri aliquo motivo plusquam humano et naturali, quia omnia ista motiva naturalia sunt fallibilia, ergo debet esse motivum supernaturale; ergo est voluntas supernaturalis quoad substantiam, quia formale ejus motivum supernaturale est.

VIII. Confirmatur ex illa definitione Concilii Arausicani II, can. V: « Si quis initium fidei ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus qui justificat impium non per gratiæ donum, id est, per Spiritus sancti inspirationem corrigentis voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, sed naturaliter inesse dicit, apostolicis dogmatibus contradicit: » nec potest exponi hoc testimonium, quod loquatur de fide formata, quia expresse loquitur de initio fidei: Si quis initium fidei, etc. et credulitatis affectu corrigente voluntatem ab infidelitate ad fidem: sed charitas qua formatur fides non est ejus initium, sed consummatio, et perfectio; ergo non loquitur de illa Concilium. Item, quia

charitas supponit fidem; ergo supponit hominem correctum ab infidelitate ad fidem, hæc enim correctio non fit per charitatem, cum possit aliquis ante charitatem esse fidelis: sed Concilium dicit ipsam correctionem ab infidelitate ad fidem fieri per gratiam Spiritus sancti; ergo non loquitur de charitate quæ supponit fidem, et format illam, sed de pia affectione antecedente charitatem, et fidem.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

IX. Ad primum respondetur, quod ad voluntatem credendi præter rationes inductivas, quæ naturali discursu attinguntur, etiam concurrunt motivum supernaturale, scilicet illuminatio, et instinctus interior Spiritus sancti, quo voluntas movetur ad fidem. Unde dicit S. Thomas 2-2, quæst. II, art. IX ad tertium: « Quod ille qui credit habet sufficiens inductum ad credendum, inducit enim auctoritate divinæ doctrinæ miraculis confirmatæ, et quod plus est, incertiori instinctu Dei invitantis. » Et longe melius Concilium Arausicanum citatum canone VII: « Si quis evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione, et Spiritus sancti inspiratione, qui dat omnibus suaviter in consentiendo, et credendo veritati, hæretico fallitur spiritu. » Ubi pondero verbum consentiendo, quod distinguitur a credendo, consensus est actus voluntatis, et suavitas ad consentiendum solum datur voluntati; non ergo sola ratio inductiva per naturalem discursum, sed supernaturalis illuminatio Spiritus sancti, præcedit voluntatem credendi.

X. Ad secundum respondetur illud iudicium supernaturale quod præcedit piam affectionem esse

evidens practice, non speculative, id est, importare evidentiam de convenientia objecti, et credibilitate, non de veritate, et de re credita, et falsum est intellectum non disponi ad fidem per evidentiam, non quidem per evidentiam rei, sed per evidentiam convenientiæ, et credibilitatis, quæ evidentia est imperfecta, utpote rem ipsam non attingens, et consequenter imperfectior fide, quæ rem ipsam attingit, licet obscure. Unde dicit S. Thomas 2-2, quæst. VIII, art. VIII ad secundum: « Quod fides non potest universaliter præcedere intellectum, (id est, intelligentiam evidentem) non enim posset homo assentire credendo aliquibus propositis, nisi ea aliquantulum intelligeret; » ergo secundum D. Thomam aliqua evidentia debet præcedere fidem, debet enim incipere ab aliqua illustratione movente voluntatem, quæ illustratio aliquam evidentiam importat, alias dependeret a voluntate ut intellectus indicaret de tali convenientia objecti, quæ sibi per illustrationem proponitur. Qualis autem sit ista evidentia explicatur a D. Thoma citato loco art. II, ubi ponit donum intellectus habere aliquam evidentiam, licet imperfectam, et ideo compati cum fide: « Quia scilicet ipsa essentia rei, vel veritas propositionis non cognoscitur quid sit, aut quomodo sit, sed tamen cognoscitur quod quæ exterius apparent veritati non contrariantur, in quantum scilicet homo intelligit quod propter ea quæ exterius apparent non est recedendum ab his quæ sunt fidei, et secundum hoc nihil prohibet durante statu fidei intelligere etiam ea quæ per se cadunt sub fide. » Ita D. Thomas. Quare sicut compatitur evidentia, quæ est actus doni intellectus cum fide, quia non est circa ipsas veritates fidei, sed circa credibilitatem et convenientiam, quatenus

homo videt quod pro nulla causa recedendum est a fide, ita antequam generetur fides, quia nondum est in nobis donum intellectus, quod solum comitatur gratia, datur tamen per auxilium divinum illustratio ad similem actum, quatenus aliquis æstimat ita firmiter adhærendum esse rebus fidei, quod pro nulla causa est ab illa recedendum, et hoc iudicium sæpe experimur in nobis.

XI. Circa secundum punctum supra positum, major difficultas fuit apud antiquos, quam apud recentiores circa substantiam actuum supernaturalium, quia aliqui ex antiquis existimabant actus virtutum infusarum esse naturales quoad substantiam, et supernaturales quoad modum, quia videlicet eliciuntur a potentia naturali intellectus, vel voluntatis, et sic entitas illorum naturalis est, sicut et potentia.

XII. Cæterum ut in hac parte æquivocationem tollamus, advertendum est, quod supernaturalitas potest alicui rei convenire ex triplici principio, scilicet ex causæ efficienti, ex finali, et ex formali, nam ex parte causæ materialis convenire non potest, cum causa materialis sit ipsum subjectum in quo recipiuntur formæ supernaturales, et hoc est ipsa anima, vel ejus potentia, quæ sunt entia naturalia, licet ratione potentia obedientialis recipiant. Ex parte causæ efficientis dicitur aliquid supernaturale, quando supernaturali modo fit, sive res facta supernaturalis sit, sive naturalis, sicut resuscitatio mortui, aut illuminatio cæci, sunt supernaturalia quoad modum, licet res facta sit naturalis, scilicet vita hominis, aut potentia visiva. Ex parte causæ finalis dicitur supernaturale id quod ordinatur ad finem supernaturalem ab extrinseco, sicut actus temperantia, aut alterius virtutis acqui-

sita, si ordinentur a charitate ad meritum vitæ æternæ, suscipiunt in se modum supernaturalem ordinationis ad talem finem: et hoc etiam modo humanitas Christi habet modum supernaturalem unionis ad Verbum ad quod ordinatur ut ad finem, et terminum unionis. Ex parte causæ formalis dicitur aliquid supernaturale, quando ex ipsa ratione formali specificativa respicit objectum supernaturale, et sola dicitur supernaturalitas quoad substantiam, id est, quoad speciem, et naturam actus, quæ desumitur ex objecto formali; sed quia in aliqua forma inveniuntur plures gradus generici, et specifici, restat adhuc explicandum, an posito gradu specifico supernaturali possint superiores gradus esse supernaturales, ita quod ille actus in sua substantia non sit ex omni parte supernaturalis, nec indigeat auxilio supernaturalis ordinis, nisi sub ea formalitate, vel ad aliquem finem supernaturalem.

XIII. Respondeo, et dico: Quotiescumque aliquis actus habet pro ratione formali specifica aliquid supernaturale, ille actus quoad substantiam est simpliciter supernaturalis, egetque auxilio supernaturali quoad omnia, quæ in illo inveniuntur, et tales sunt actus virtutum infusarum. Probatur conclusio quoad primam partem, nam illud dicitur substantia alicujus rei quod est ratio constitutiva substantiæ ipsius; ergo si aliqua ratio formalis specifica alicujus actus supernaturalis est, talis actus quoad substantiam est supernaturalis. Patet consequentia, quia illa ratio constituit naturam, et speciem illius actus; ergo etiam est constitutiva substantiæ ejus. Ex quo ulterius colligitur, quod omnes gradus superiores in tali actu naturalis ordinis esse non possunt, sed vel sunt supernaturales, vel abstra-

hunt a naturali, et supernaturali; implicat enim eandem simplicem entitatem esse simul naturalis ordinis et supernaturalis, cum sint diversæ lineæ inter se oppositæ, non minus quam spirituale et corporeum, corruptibile et incorruptibile; sicut ergo non potest eadem qualitas esse corporea quoad gradum superiorem et spiritualiis, quoad specificum, ita non potest esse naturalis quoad gradum superiorem, et supernaturalis quoad specificum.

XIV. Statim vero occurrit vulgaris illa difficultas de vitalitate, et libertate actuum supernaturalium, sunt enim illi actus liberi, et vitales; ergo oportet quod essentialiter progrediantur a principio intrinseco vitæ, quod est anima, et ejus potentia; sed hæc sunt agentia naturalia; ergo influunt naturali activitate, et intrinseca in illos actus; ergo aliquid habent naturale, scilicet vitam, et libertatem.

XV. Respondetur, quod ut bene vidit Montesinos, disp. xxviii, quæst. iii, ipsa etiam vitalitas est supernaturalis in istis actibus, quia procedunt a potentia vitali ut elevata, ita quod elevatio est ratio agendi, et tota virtus, non tota ut principium radicale, hoc enim est anima, et ejus potentia; sed tota ut ratio agendi, illa enim radix animæ non exit in actum nisi ut elevata. Intelligendum est enim, quod sicut in recipiendo, et educendo formas supernaturales ex subjecto ipsa anima est quæ recipit, et de qua educuntur, sed ratione potentia obedientialis, non ratione potentia naturalis passivæ, hæc enim nullo modo concurret ad recipiendum formas supernaturales; sic in agendo potentia vitalis vere et proprie operatur active, sed ratione activitatis supernaturalis sibi superadditæ, non ratione activitatis naturalis tamquam rationis agendi, aliud est enim potentia,

quæ solum est activitas radicalis, et principium indifferens ad operandum hoc vel illud, hac vel illa virtute; illud est virtus, seu ratio agendi quæ est activitas proxima, et determinans ipsam potentiam, dansque illi virtutem, sicut substantia aquæ calefactæ concurret ad calefaciendum non ratione propriæ activitatis, quæ est frigus, seu radix postulans frigus, sed ratione activitatis superadditæ, quæ est calor, licet non teneat exemplum in hoc, quod aqua respectu caloris se habet tamquam inanimatum subjectum, et nullo modo influens activitate propria, neque formali et proxima, neque radicali et elevabili, intellectus autem vere, et proprie influit per ipsam potentiam intellectivam, mediante tamen virtute supernaturali elevante, non mediante sua virtute ut naturaliter operante, et hæc virtus supernaturalis non præbet vitalitatem ipsam secundum se absolute, sed reddit vitalitatem ipsam elevatam in operando, et in ratione operandi supernaturaliter, et elevate est tota ratio operandi, non tamen est totum principium operandi, sed ipsa potentia; est etiam principium non passivum, sed activum activitate elevabili, et quæ redditur proportionata, et proxima per solam virtutem supernaturalem. Et hoc explicat Cajetanus, 2-2, quæstione clxxi, art. ii, in calce commentarii, quia sicut in visione oculi non elicit partem visionis potentia, et partem species visibilis, sed totam visionem elicit potentia, ut actuata tamen specie, sic totam vitalitatem actus elicit vitalitas intellectus, ut tamen actuata, et elevata lumine divino, et sic tota ratio proxime proportionans, et habilitans ad talem visionem est lumen, intellectus autem est principium operandi ut elevabile.

XVI. Instabis: Nam actus fidei,